



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Hvg. Comiti Et Marsvcto Pisanis Canonicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

eadem Præpositura ullo tempore sine causa rationabili amoveret. Dictus autem Præpositus unde humiliari debuerat, in elationem erectus, obedientiam, quam Abbatii ex præcepto Cardinalis debebat impendere, ipsi exhibere contempserit; immo domos, homines, & cetera bona ejusdem monasterij occupans, eam in usus proprios & illicitos transfundere non veretur, à monastica etiam professione ac fratrū confortio se reddens penitus alienum; nullis quoque beati Benedicti obtemperans institutis, non se tantum, verum etiam totum monasterium dissolutione ac enormitate suæ vita gravi compellit infamia laborare. Quia igitur timendum est ne pars corrupta syncretam contaminet, nisi falce fuerit apostolica resecata; discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus si prædicta veritate nuntiatur, prædictum Præpositum ab administratione Præpositura remotum, ut Abbatii suo existat obediens, sicut debet, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Nullis literis obstantibus harum mentione non habita à sede apostolica imperatis. Datum Laterani VI. Nonas Martij.

COLOCEN. ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 32.
Confirmatio
super quibusdā
Ecclesias. Præ-
positura Colocen.
Ecclesia de
Capituli con-
tentu collatis.

Iustis petentium &c. usque ad verbum illud assensu. Ecclesias sanctæ Mariæ de Ioth, sancti Mauriti de Both, & Ecclesiam de Vnta, quas Præpositura Colocen. Ecclesia de consilio & assensu tui Capituli contulisti, sicut providè factum est, & Præpositus Colocen. easdem justè possideret & quietè, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani.

HVG. COMITI ET MARSVCTO
Pisanis Canonicis.

Epiſt. 33.
Super quædam
pignoris, que
Later R. & Gal-
licianum Pisano-
nos veritut.

Significante dilecto filio Rubeo ci- ve Pisano, ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum domum suam cum horto Galliciano Pisano civi pro ducentis quinquaginta duabus libris pignori obligasset, & promisisset, cautione præstata juramenti, quod nisi domum ipsam statuto inter eos termino recolligeret, eundem creditorem ultrius super ea minimè molestaret, infra statutum tempus per certum & fidelem nuncium, prout ei videbatur, creditori

mutuatam pecuniam remisit: quam idem nuncius, infideliter agens, sicut ei injunctum fuerat, non perfolvit. Cumque postmodum prædictus R. ab Imperatore captus pariter & detentus, multa pericula sustinuerit & labores, nec dicto G. satisfacere potuerit, ut debebat, nunc per Dei gratiam libertati pristinæ restitutus, paratus est pecuniam reddere creditori, licet ipse prorsus eam recusat recipere, quia ei non fuit statuto termino perfoluta. Cum igitur pactum legis commissoriæ sit in pignoribus improbatum, & quantum in eo fuit, prædictus Rubeus juramenti debitum adimplerit, cum per eum quem certum & fidelem nuncium sperabat, pecuniam remiserit termino constituto, & dum in imperiali fuit captione detentus, satisfacere non potuerit creditori, devotioni vestrae præsentium auctoritate mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, prædictum creditorem, ut sorte sua contentus existat, pensionibus præfati pignoribus computatis in sortem, & domum ipsam & hortum præfato Rubeo omni postposita dilatione resignet, per censuram ecclesiasticam pacto vel tali juramento nequam obstante, admonitione præmissa, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, compellatis. Datum Laterani.

POTESTATI ET CONSILIARIIS
Viterbiensis.

Dilectis filiis Consulibus Perusia. qui nos super tractatu illo consuluerant quem ipsi vobis cum rectoribus Thusciae habuerunt, literis nostris dedimus in responsis, ut quia tractatus ille, quem rectores inter se inierant, minus debite ad honorem, utilitatem, & profectum Ecclesia pertinebat, & nos dilectis filiis B. Basilice duodecim Apostolorum & P. tituli sancti Petri ad vincula Presbyteris Cardinalibus, qui tractatum illum nobis pleniū expresserunt, nostrum & fratrū nostrorum significaveramus beneplacitum voluntatis, tamdiu ipsi Consules Perusini supersederent his quæ disposita fuerant consummandis, donec literas nostras reciperent mandatum super hoc apostolicum plenius continentis. Ideoque sicut Perusini ipsis per literas significavimus, ita nunc discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus

Epiſt. 34.
Quod in tra-
ctatu habito in-
ter ipsos, Pe-
nitos, & Reſto-
res Thuscias.
ne mandato
apostolico non
procedant.
Vide ſuprā epif.
15. itemque epi-
ſtolas ſequen-
tem.